



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

I. De honesta vita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
CHRISTI
1187.

ribus, quos libenter perferimus, & subditis nostris quietem pacis, & status commoda propinemus, fructusque percipiant optatos, pro salubri statu cleri, partium, regnorum, & ducatum prædictorum, in sacro Herbipolensi Concilio, assidentibus nobis venerabilibus patribus, Moguntinensi, Coloniensi, Saltzburgensi, & Viennensi, archiepiscopis, & nonnullis eorum suffraganeis, & de ipsorum ac abbatum & prælatorum præsentium * quasdam constitutiones edidimus per eos in posterum inuiolabiliter obseruandas, quæ a iure suadentur, æquitati deseruiunt, & continent honestatem: mandantes auctoritate qua fungimur, vt in qualibet etiam cathedrali, conuentuali, seu etiam collegiata, sub nostro sigillo penitus habeantur annuatim, prout in constitutione nostra contra vsurarios actus inferius annotata expressè legitur, publicandæ. Vos itaque has constitutiones deuote suscipite, & eas tamquam amatores iustitiæ inuiolabiliter obseruate.

* desit for
in cõsilio,

CAPITVLA.

I.

In nomine Domini, Amen. Vt Christi militia laudibus deputata diuinis, vita, gestu, moribus & habitu a malitia secernatur humana, cunctos archiepiscopos, episcopos, clericos, abbates, ceterosque inferiores ecclesiarum prælatos & personas in dignitate sacri sacerdotii constitutas, quarum cura nobis committitur, auctoritate hortamur in Domino, & paterna suadela monemus, vt pie, caste, munde, ac in splendore * vitæ viuere studeant, grauitate qua conuenit, tam in habitu, quam in moribus incedentes: & vt dignitate præcellunt, sic & vitæ præfulgeant honestate, præsentis constitutione statuimus in posterum valitura, vt archiepiscopi, episcopi, abbates in domibus eo-

* manu
scriptus
vit. habet:
forte legen-
dum, vit-
gatum

rum clausa, & non nimia longitudine vel breuitate, munda habeant indumenta.

ANNO
CHRISTI
1177.

I I.

Vfus tabernarum, præterquam in itinere constitutis, & ludos taxillorum, omnibus clericis & personis ecclesiasticis, præsertim in prælaturis & sacris ordinibus constitutis, omnino prohibemus: & qui contra fecerint, in publico, vel alibi laicis præsentibus, arbitrio ordinarii puniantur.

I I I.

Abusum quoque ac suspicionem contagii a personis ecclesiasticis, maxime in dignitatibus & sacris ordinibus constitutis, paterna diligentia præcidere diligentes, personis huiusmodi frequentationem claustrorum, seu monasteriorum monialium, ac inhonestam colloquutionem, & ludum noxium cum ipsis monialibus in cameris, vel publice, in hac edictali constitutione de cetero prohibemus: & qui contra fecerit, pœna * communionis puniatur per ordinarium.

* f. ex-
municia

I V.

Hastiludia & torneamenta clerici qui sunt in dignitatibus, personatibus, seu in sacris ordinibus constituti hoc edicto perpetuo sibi nouerint interdicta: ita quod nulla persona ecclesiastica in dignitate seu personatu, & in sacris ordinibus constituta, cum armis vel sine armis ipsa exercent. Et si contra fecerit, anathematis vinculum eo ipso incurrat; absolutionem tum eorum episcopo metropolitano, ac aliis episcopis referuamus.

V.